

## **De ophthalmia Aegyptia / Henricus Dewar.**

### **Contributors**

Dewar Henry, -1823.  
Royal College of Physicians of Edinburgh

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat Gulielmus Creech, 1804.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g8mh8qy4>

### **Provider**

Royal College of Physicians Edinburgh

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
OPHTHALMIA ÆGYPTI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS DEWAR,

SCOTO-BRITANNUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS.

---

---

Ad diem VIIimum Kalend. Julii, hora locoque solitis.

---

---

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1804.

DISSERTATIO MEDICA

IN AURICULA

OPHTHALMIA ACUTA

D. GEORGII BALD. S.S.T.P.

The Royal College of Physicians

of Edinburgh from the author.

HENRICUS DEWAR

R14694

PATRI DILECTISSIMO,

VIRO REVERENDO,

JOANNI FRASER, A. M.

CUI BENEFICIA SUA INNUMERA NUNQUAM SATIS

REFERRI POTERUNT ;

PRÆCIPUE,

QUOD UT FILIUM A TENERRIMIS USQUE ANNIS

AMORE LITERARUM IMBUERET,

ET

DOCTRINA HONESTA INSTITUERET,

OPERAM DEDIT ;

*LEVE HOC TENTAMEN*

PIUS GRATUSQUE DEDICAT

AUCTOR.

PATRI DILECTISSIMO

VIRO REVERENDO

JOANNI FRASER, A. M.

CUI BENEFICIA SUA INNUMERA NUMquam SATIS

RECITARI POTERUNT;

PRÆcipue

quod ut filium a teneris usque annis

amore litterarum imbueret,

et

doctrina honesta institueret,

operam dedit;

leve hoc tantamen

tus gratiasque dedit

AUCTOR

NECNON,

VIRO DOCTISSIMO, SPECTATISSIMO,

JOANNI CLARK, M. D. &c. &c.

MEDICINAM IN NOVO CASTELLO SUMMA LAUDE FACIENTI

QUI REM MEDICAM CUM SCRIPTIS SUIS

PLURIMUM AUXIT,

TUM MORIBUS INGENUIS BENIGNISQUE

ORNAT ATQUE COMMENDAT,

OB

AMICITIÆ TESTIMONIA QUIBUS AUCTOREM

DIGNATUS EST,

*HANC DISSERTATIONEM*

SACRAM VULT

HENRICUS DEWAR.

RECTOR

VIRI DOCTISSIMO, SPECTABILISSIMO,

JOANNI CLARK, M. D. &c. &c.

MEDICINAM IN NOVO CASTELLO SUMMA LAUDE FACIENTI

QUI REM MEDICAM CUM SCRIPSIT SUI

OPHTHALMIAE

TUM MORBUS INGENITO RITONISQUE

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

DE

OPHTHALMIAE

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

CAUSAM ATQUE COMMENTARIUM

SACRAM VULT

HENRICUS DEWAR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA ÆGYPTI.

---

---

AUCTORE HENRICO DEWAR.

---

---

**O**PHTHALMIAM Ægypti, vel natura sua, vel curatione, ab aliarum regionum ophthalmiis diversam esse, haud arbitror. Quoniam latius autem in Ægypto, quam in cæteris orbis terrarum partibus, grassatur, ibi optima præbetur occasio naturam ejus indagandi. Utinam hanc rem penitus explorare, et luculente proferre possim. In Ægypto sex non amplius menses cum exercitu Britannico

A

versato,

versato, phænomena morbi magis solita, sed non varietates omnes videre licebat. De eo pauca, qualiacunque mihi obviam venerint, dicere in animo est.

### HISTORIA.

ÆGYPTI indigenæ plerique lippitudine laborant. Ætate provectis, tunica cornea adeo opaca videtur, ut, primo conspectu, hos visu omni orbatos esse judicari possit. Hæc affectio originem ducit, vel ex morbo ophthalmico propria sua forma sæpius prægresso, vel actione mitiori perpetua causarum earundem quæ ophthalmiam concitant. Inflammationes et oculorum et palpebrarum frequentiores ignaviâ ipsorum hominum fiunt, qui fordes ciliis hærentes fere nunquam abstergunt, et muscas plurimas circumvolitantes, mirâ patientiâ, faciei infidere sinunt.

OPHTHALMIA gravis inter illos perpetua; et  
multi,

multi, præfertim ex senioribus, cæcitate inde orta laborant.

SUNT qui hunc morbum Arabes Bedovinos eremos vicinas habentes nunquam invadere dicunt. Hi rarius forsan quam Ægypti ipsius incolæ eo corripiuntur. At, quos vidimus Ægyptum visitantes, Bedovini ejusdem mali non semper immunes fuerunt.

Hic morbus quam antea momenti majoris Europæis nuper visus est, ob sævitiam atque frequentiam qua primum milites Gallicos, deinde Britannos, in ea regione commorantes invaserit. Historiam ejus, nostrates infestantis, narrare conabor.

MORBI ingressus modo subitaneus, modo lentus erat. Subitaneus, causa eliciente quavis forti prægressa, ut particulis arenæ in oculos immisissis, luce intensa cum calore, vel frigore nocturno. De quibus postea.

PLERUMQUE vero passu lentiore ingruebat. Primo oculi alterius sive utriusque teneritudo, quandam lucis impatientiam producens, sensa fuit. Accedebat oculi pruritus, admotionem digiti crebram provocans. Hæc signa in horas ingravescabant, et admotio tandem digiti, levaminis vice, dolorem acutum inferebat. Haud ita multo post, dolor lancinans ultrò invadere solebat. Æger corpuscula quædam, quasi arenæ, inter palpebram et orbem, sentire sibi videbatur. Rarò corpuscula ulla quæ hoc efficere valerent se cuiquam obtulerunt. Dolor jam violentior non solum oculum, sed etiam totum caput occupabat.

HÆC signa unum tantùm oculum sæpe initio affligebant: sed antequam ibi gravissima fierent, alterum oculum ingruere cœperant, et passu magis incitato progrediebantur, donec in utroque pariter essent severa. Dolores capitis nocturni vix nunc tolerandi. Sæpe ægrorum audivimus vota vehementia, ut mors, ultima linea rerum, vitam miserrimam finiret.

Eodem

Eodem tempore, oculi palpebræque intumescabant, et tunica conjunctiva vasis rubicundis variegata. Quæ signa per duos, tres, pluresve dies persistabant.

DOLOR dein paululum minuebatur: intolerantia autem lucis plerumque crescebat, et æger doloris immunitate, non nisi palpebris clausis, frui poterat. Novi etiam qui lucem debilem per palpebras clausas transeuntem et fano vix sentiendam ferre non poterant, et quibus manu sive panno lucem præcludere, aut in cubiculo tenebroso manere necesse erat. Vasa super adnatam rubra numero augebantur, quæ demum tunica colorem prorsus sanguineum induit. Hæc morbi forma plures hebdomadas haud raro permanebat. Remissio signorum spem salutis iterum atque iterum præbuit, sed morbus recidivus spem eam fefellit. Tandem, viribus iis quibus vescitur inflammatio, morbi duratione, jam impensis, oculi paulatim in salutem redierunt. Exitus sane felicissimus, si nulla depositio lymphatica, læsionem

læsionem visûs inferens, in tunica cornea relinqueretur.

HÆC erat forma ophthalmiæ maxime usitata. Attamen signa interdum mitiora ostendit, inflammationem scilicet leviozem, et decimum intra diem curriculum suum peragentem. Interdum e contrario, formam induit multo sæviorẽ quam quæ supra dicta est. Postquam inflammatio primaria imminuta, a morbo magis chronico excepta esset, subito invadebat dolor sævior, profundior et obstinatioz. Huc accedebant cephalalgia, vigilia, delirium phrenitidis æmulum, calor corporis intensus, pulsus arteriarum validus citatusque. Hanc morbi formam, curatione neglecta seu secus procedente, sæpe cæcitas excipiebat; oculus, enim, humore purulento intus formato, ruptus, vel ejusdem internæ partis structura alias deleta; vel corneæ crassitudo infecuta, artibus chirurgiæ et medicinæ cedere nescia.

DE conditione pulsus generali tacui, quod  
hujus

hujus nullam affectionem notavi, nisi quæ, doloris oculi normam secuta, hunc pro causa sua plane agnoscebat. De ophthalmiæ formis equidem plura et legimus et audivimus, quarum prima signa fuerunt cephalalgia et pyrexia, nullâ oculorum inflammatione ante diem secundam sensâ. Hujusmodi sæpe est ophthalmia Afrorum infelicium, qui navibus nostris ad insulas Americanas deportantur. In Ægypto eandem speciem interdum induit, at sæpius pyrexia initio deest. Hoc ex ingressu morbi lento et infidioso mihi liquet.

DISTINCTIONES ophthalmiæ Ægypti in sthenicam et asthenicam, mitem et gravem, acutam et chronicam, haud multi facio. Morbus suâ naturâ semper idem est, etsi, more aliorum morborum, diversas species, diversis rebus conjunctis, præ se ferat, et curationes diversas sibi suo jure vindicet. Neque hic multum prodesse potest distinctio ulla secundum sedem morbi primariam, ut tarfos, tunicas oculi exteriores, et interiores.

tarfi

tarfi inflammatione loquor reverà chronica, quæ a labe scrophulosa pendet. Ophthalmia itidem de qua nunc agitur, interdum in tarsis incipit. At ea est inter se consensio partium ad oculum pertinentium, ut omnes malum extemplo pervadat, et, tarso hucusque solo inflammato, retinæ affectio, intolerantiâ lucis et debilitate inter legendum manifesta fit.

#### CAUSÆ.

Cum quemvis morbum unam præcipue regionem infestare notum sit, viri scientiæ dediti ut causam rei ita notabilis reperire contentur expectandum est. Sæpe autem effectum totum uni causæ conspicuæ quæ morbum aliquando excitaverit, oscitanter attribuunt. Hunc errorem interdum in medicis de ophthalmia disputantibus, et semper fere in peregrinatoribus de Ægypto scribentibus, cernere est.

DE OPTHALMIA ÆGYPTI. 9

NONNULLI ad arenam, ventis illius regionis aridæ agitatam, et in oculos admiffam, morbum referunt. Non autem eo modo explicari potest morbi in hominibus origo domo nunquam exeuntibus, mulieribus præfertim et infantibus, causæ isti, ut compertam habeo, nunquam objectis.

MILITES tentoria ædibus ruinosis propiorz habentes, et pulvere calcareo vexati, ophthalmiæ mire obnoxii videbantur. Unde doctrinam generalem temere nonnulli ducere voluerunt, quasi ad causam huic similem morbus semper referri debuerit. Respondere vix necesse fuerit, causam non ubique existentem nequaquam morbum per populum universum concitare posse.

SONNINIUS ophthalmiam ascribit aquæ vicis urbium inspersæ, in vaporem mutatae, et nitrum ita aliumve sale acrem per aera diffundenti, cui sali obnoxii fiunt hominum oculi. Hic non meminisse videtur, quum nitri solu-

tio calore lento evaporetur, aquam et præterea nihil in aerem sublevari, sale neutro conditione fixâ et crySTALLIZATâ relicto; eadem ratione quâ aqua marina, ope vasorum ex ferro igni imposita, sale suum flatu solido relinquere solet, aquâ in vaporem salis expertem abeunte. Si aqua igitur ab Ægyptiis vicis urbium inspergitur, nitrum in aerem cum vapore non tollitur; pulvis contra nitrosus, ante aridus, turbine circumactus, nunc madefactus, humi manet.

SUNT qui pro causa unica ophthalmiæ agnoscunt nitrum et sales alios, pulveri Ægypti admixtos, qui in oculos ventis vagis injiciuntur.

SAVARESIUS, exercitûs Gallici medicus, pericula in canibus instituit, ex quibus visum est, pulverem nitrosum in horum oculos injectum inflammationem nullam producere. Opinionem igitur paulò diversam proponit, ophthalmiam, nimirum, originem suam terræ,

non

non nitrosæ, sed aluminosæ et calcareæ in Ægypto abundanti debere. Ad hanc opinionem stabiliendam, alumen dicit in oculos canis injectum cæcitatem die sequente produxisse. Experimentum hoc, si certum fuisset, non fuerit spernendum; nam cum priori experimento collatum, distinctionem monstraverit inter nitrum et alumen quod ad effectus in oculis editos. Attamen alumen semel atque iterum in oculos quadrupedum injeci, nulla inflammatione secuta. Pulverem aluminosum quidam medici oculis inflammatis flatu applicare solent, ut vi ejus astringente fluxum ex oculis minuant. Quid boni a tali medela percipiant, nescio: at de inflammationis incremento inde illato nihil audivi. Savarefius, ut terram *calcaream* probaret causam esse ophthalmiæ, milites quosdam narrat, calcem ex ædium ruinis inter se jactitantes, in ophthalmiam gravem incidisse. Hujus generis calcem, id est, acido carbonico privatam, aut non penitus saturatam, ophthalmiam, caustica sua vi, efficere valere, satis constat; at in

aere, vel etiam in pulvere Ægypti, calcem ita vivam existere non apparet.

OPHTHALMIAM Ægypti unam ad causam referendam esse haud censeo. Plures inter se diversæ causæ eam subito eliciunt. Verisimilimum item videtur causas alias magis latentes, quæ ad morbi in Ægypto frequentiam conferant, inter se esse diversas. Hic recenseo,

I. COELI fervidi vim debilitantem. Hæc quidem indigenas parum lædit, quippe quorum corpora calori insueta. At milites Gallici et Britannici, debilitate insigni ab hac causa profecta laborabant, unde et ophthalmiæ et aliis morbis magis erant quam indigenæ obnoxii. Ex quo autem fiebat, rogatur, ut hæc debilitas morbo oculorum sese ostenderit? Fortasse quod respondeatur ex parte habemus, ad aliam causam præpollentem animum advertentes, quæ nullam præter oculos corporis partem afficit; nimirum,

II. LUMEN

II. LUMEN fortissimum cui in Ægypto oculi obijciuntur. Ophthalmiæ formam mitiorem provinciarum Moscoviæ septentrionum incolæ haud infrequentem experiuntur, quæ causam agnoscit lumen vividum a nive reflexum, ibi fere semper jacente. In Ægypto, arena locorum desertorum, et solum terræ fertilis colorem, si non album, albo certe proximum habent. Et lux solaris Ægypti, quæ per se fortissima est, ab arena albicante reflexa, vim tantam habere potest quantam solis Russici lux a nive albissima reflexa. Ægyptus etiam agrum undique campestem sine collibus ostendit. Candens hinc æther oculos sæpius ferit magisque fatigat, quam in quibus regionibus colles undique colorem viridem fuscumve aciei oculorum opponunt.

QUONIAM verò duæ hæ causæ non ratione tanto majore in Ægypto valent, quanto ophthalmia ibi super alias regiones grassatur, causam aliam subtiliorem, et Ægypto fere propriam, quæramus necesse est. Hic confitentum

dum est nos lubrica et incerta agitare, et nisi opinioniones plus minus laudabiles in medium proferre posse. Quæ causæ morbo cuius pabulum in una regione suppeditent, ut ibi late sæviat, dum in alia terrarum parte cujus cœlum, ager, fruges, hominumque mores, non sunt diversa, multo minus fit infestus, nobis adhuc magna ex parte latent, et ad eas perscrutandas, collatione rerum verarum plenissima et accuratissima opus erit. Ante autem quam hoc fieri potuerit, de opinionibus nostris garrere sine injuria liceat.

III. OPHTHALMIAM igitur Ægypti partim ascribere volo exhalationibus vegetabilibus Ægypto propriis. Magnam morborum partem, regionum præsertim calidarum, exhalationibus oriri regni vegetabilis, haud dubitandum est. Febres intermittentes miasmata paludum pro sola fere causa agnoscunt. Ex miasmatis vegetabilium quodammodo diversis, febres regionum calidarum biliosæ remittentes sæpissime oriuntur. Inde fit ut Europæi  
insulas

insulas seu continentem Indiæ orientalis visitantes, si quando noctu vel multo mane foras itum fit, has febres fere nunquam effugiant. In oris contrà Arabiæ, ubi nihil viride viget, nostrates, etiam noctem sub dio degentes, et rore plurimo madefacti, non quod metuant habent.

AMICO meo tamen Georgio Power\* non assentior, reliquias dicenti et animales et vegetabiles in Ægypto abundantes putridiores magisque malignas quam in aliis calidis regionibus fieri. Doctrina prorsus contraria probabilior videtur; nam Ægyptus immunitate quorundam morborum in plurimis regionibus calidis grassantium fruitur. Cælum ipsum idem confirmat. Ægypto per plures menses deest humiditas. Vegetabilia igitur minus sunt evaporationi subjecta; unde exhalationibus vim minorem inesse credendum est. Hinc febres biliosæ rarius ibi vagantur.

HÆ

\* Vide "An attempt to investigate the cause of the Egyptian Ophthalmia, by George Power."

HÆ tamen exhalationes vim suam haud penitus amittunt. Si conjecturis meis hanc rem persequi liceat, humiditatis absentia non solum vim earum minuit, sed etiam naturam ita mutat ut effectus diversos edant. Quoniam igitur Ægyptum plus quam alios locos ophthalmia infestet, haud sine quadam verisimilitudine puto, formam exhalationum vegetabilium in Ægypto extantem, eam specialem debilitatem efficere, quæ in oculorum inflammationem abeat.

IV. OPHTHALMIAM interdum ex contagio ab ægris emisso oriri, non est ut credere dubitemus. Hoc apud scriptores non satis notum fuisse videtur. Professor Trenka de Krazowitz, observationes complurium scriptorum in unum cogens, contagium inter causas recensuit, at non sine dubitatione, et de eo solo contagio loquitur, quod intuitu oculorum ophthalmia laborantium propagatur. Hoc, non contagium, sed sympathiæ vis nominetur oportet. Dum de ophthalmiis epidemicis ut  
contagiosis

contagiosis vulgus opiniones male definitas teneret, medicis incredibile visum est ut morbus ita localis originem vere contagiosam unquam habuisset. At nullæ ejusmodi doctrinæ mentem præoccupare debent, dum historiam morbi spectemus. Non video cur haud fieri posse arbitremur, ut ex ægrotantium corporibus emanatio vaporis venenosi debilitatem sani corporis producat, quæ morbo oculorum sese ostendat. Siquidem animi motus, et generis conditio nervosi, tantam et tam subitam in oculos vim quotidie patefaciant, quare non fieri potest ut oculi totius systematis labe a contagione illata afficiantur? Vel (si cui magis placeat) ut particulæ volatiles ex ipsis oculis inflammatis, oculos sanos attingentes, eundem morbum concitent? Modo alterutro morbum hunc propagari mihi constat ex historiis quas scripserunt tres medici sequentes.

JACOBUS ARMSTRONG, M. D. dissertatione sua inaugurali, anno M,DCC,LXXXIX scripta, "De tuenda nautarum sanitate," sequentia

narrat. “ Mense Januario M,DCC,LXXXII, regia navis Alba Marla, oram Hispaniolæ legens, navi fervis onustæ obviam venit, unde tres nautas in se conscendere coegit. Unusquisque ex tribus, oculis leviter tum inflammatis laborabat, et, causam hujus affectus rogati, dicebant, se eo tempore ex dolentissimo convalescere morbo, quo omnes fere homines fervifera in nave tum laborabant, et ne unum quidem præter dominum ipsum navis vim ejus effugisse. Quartum vero post diem quam in navem regiam allati fuerant, duo ex nautis qui semper in hac nave fuissent, mane querebantur, sese proxima nocte acuto dolore in anteriore parte capitis correptos fuisse, et eodem tempore, molesto oculorum, haud secus ac si iis pulvis inspersus fuisset, sensu affectos. Postero mane, alii complures sese priore nocte correptos eodem modo et iisdem malis fuisse aiebant: et septimi mane diei ex quo tempore primi duo affecti fuerant, viginti duo ad usitata munera præstanda ineptos hicce morbus jam reddiderat. Nonnulli, propter dolorem

capitis

capitis acutum, lecto affigebantur, neque caput ex pulvino levare poterant, et inflammatio eò invaluerat, ut oculorum color carnem crudam quam maxime referret. Morbo tam cito indies ingravescente, ne latius pateret, præfecto navis ægrotos omni cum fanis commercio interdicerè necessarium visum est. Qua re facta, contagio non amplius viginti quinque affecit, et post quinque circiter hebdomadas, quam primum in navem advecta fuisset, omnino evanuit." Hæc sub oculis scriptoris accidebant, et asseverare audeo, nullam historiam unicam magis claram ad contagium ullius morbi probandum in medium proferri posse. Plenius de hoc ipsa in dissertatione scriptum.

ARTHUR EDMONSTON, et GEORGIUS POWER alias historias similes memorant. Secundum hos, milites qui nunquam in Ægypto fuissent, simul ac naves quæ ophthalmicos vexerant conscendissent, vel in arce Gibraltar cum

ægris commixti essent, multi ophthalmia affecti sunt. Nautæ etiam complures, qui Ægyptum non adierant, ab ophthalmicis in naves suas conscendentibus, morbum cito acceperunt.

SUNT qui morbum quemlibet credunt vere contagiosum, nullam aliam præter contagium unquam habere originem. Nonnulli sane morbi, ut lues venerea, ad contagium semper facile referendi sunt. His morbis certe alia origo in principio erat; at si nunquam sine contagio cernimus eosdem hodie oriri, jure credimus primam eorum formationem ex rerum concursu rarissimo fuisse. Natura autem nusquam docuit quosdam morbos per contagium ex corporibus ægrorum propagatos, non ab aliis quoque causis quotidie de novo formari. Cum typho, catarrho, dysenteria, et pluribus aliis ita esse, bene liquet.

V. QUÆDAM sunt causæ, repentino effectu conspicuæ, ubique ophthalmiam producere  
gentium

gentium pollentes, cæterum in Ægypto multo frequentius, quia ibi causis jam dictis conjunguntur.

ARENÆ particulæ in oculos injectæ, ubique inflammationem excitant tamdiu perstantem quam particulæ in oculo manent. Inde in Ægypto ophthalmia sæva et diuturna initium sæpius habet.

LUCEM fortem subito oculis admiffam ophthalmia interdum illico infecuta. Hoc maxime media æstate vidimus, dum in Cairo versabamur; quidam enim foras profecti, et luci forti ab arena undique repercuffæ objecti, ophthalmia graviffima puncto temporis fuerunt mulctati.

FRIGUS etiam noctis morbi initium dedit, militibus præfertim, qui, foris muneribus suis noctu functi, mane ophthalmia vel jam gravi vel tantum incipiente affligebantur. Sunt qui frigus docent nullam inflammationem

recte

recte producere, et tantummodo stimulum tollendo organum magis obijcere actioni morbi-  
de auctæ, stimulo caloris usitato de novo appli-  
cato. Hoc autem nequaquam propterea con-  
cedere possum, quod, frigore adhuc persistente,  
dolor et inflammatio incipiunt,

### RATIO SIGNORUM.

Hic pluribus non opus erit. Morbus in-  
flammatorius, ideoque inflammationibus aliis  
plerumque similis est. De inflammationis pa-  
thologia controversias nunc agitare non meum  
est.

DEBILITATEM totius corporis interdum cau-  
sam propinquam esse inflammationum et ge-  
neralium et topicarum omnibus notum est.  
Hunc morbum sæpe prægreditur totius corpo-  
ris, sæpius oculi debilitas : interdum sine una  
et altera inopinato invadit.

FLUXUS lacrymarum et humorum ex oculi superficie auctus, pathologiâ suâ, feri profluvia et subter cutem effusiones omnino refert, quæ aliarum inflammationes partium comitantur.

DE uno signo paulo fusius disputandum est; sensu, nimirum, particularum arenæ oculum irritantium. Quoniam particulæ nullæ plerumque videndæ sunt, hic sensus sæpe pro morbi effectû speciali habetur, et nullam causam externam agnoscente. Coagula subter palpebras conspicua nimis sunt mollia ut oculos ita lædant, et eadem sæpe videre est, ægro nulla molestia affecto.

OPHTHALMIA in Ægypto implicitus, hoc signo per duos vel tres dies molestissimo laboravi, et causæ ejus indagandæ operam dedi. Sæpius oculum in speculo nequidquam spectavi. Sensum hunc pro causa sua coagula opaca super oculum posita minime agnovisse, ex hoc visum est, quod irritationem in alia parte,  
ubi

ubi nulla erant hujus generis coagula, fenferim, et, immunditie tali sublata, idem sensus adhuc persistit. Tandem autem percepti, ab hujus sensus situ ipso lucem angulo peculiari repercussam, et depressionem forma lineæ ab inferiore ad superiorem oculi partem extensam esse. Tunica adnata pressioni subiecta erat fibrillæ pellucidæ, et summo studio vix cernendæ. Hæc erat concretio lymphæ incipiens quæ utraque sine ad juncturam oculi cum palpebra affixa, prout partem suam subtilem perdiderit, se contraxit et oculum constrinxit. Hanc depressionem ex fibræ cujusdam muscularis contractione esse, primo censui. At natura ejus mihi penitus innotuit, experienti, quum palpebras vi clausissem, dolorem statim cessasse, et hanc fibrillam ruptam et longitudine contractam, forma coaguli subopaci facillime eliminari. Ad eandem rem, quippe quæ nova videbatur, aliis in ægris animum adverti; et semper reperi, ubi hoc adesset signum, ægrum oculis obnixe clausis dolore protinus vacasse. Molestia quidem brevi redibat,

dibat, fibrilla nova eodem modo formata. Ad eam tamen rem se assidue applicans, æger majore doloris vacuitate frui poterat. Oculi pressio actione palpebræ musculari facta haud inflammationem auxit, ut solet admotio digiti seu cujusvis rei extraneæ. Hujusmodi enim actio, utcunque stimulum afferens, ab alio stimulo qui multo magis nocebat oculum immunem reddidit.

OPHTHALMIA ab aliis inflammationibus perti-  
naciâ distinguitur, qua remediis minus facile  
cedat. Hoc ex structura oculi expectandum  
est, ex motibus ejus volubilibus, ex sensibili-  
tate qua super alias partes præditus est, et ex  
munere visus quo fungitur, quod stimulum lu-  
cis ei proprium reddit.

### CURATIO.

DE therapeia theoretica nihil, de præxi  
pauca disjuncta quæ mihi fundata videntur

INFLAMMATIONEM D proferam.

proferam. Haud ignarus quantam de curatione cruditatem proditurus sim, hanc tamen anteponendam censeo opinionibus cujuscunque magistri, parum certis, et menti sæpe officientibus. Quas de hoc morbo teneo opiniones, experientia mea auctiore et aliorum, correctum iri spero.

I. UT oculi otio fruantur, præsertim ut ab omni contentione, et a stimulo lucis vacui ferventur, consulendum est. Qui ophthalmia levi laborat, si sedulo legere et res tenues inspicere perseverarit, morbum gravem sibi consciverit. Perspicilla viridia, quæ omnia gratissimo colore induunt, sæpe oculos admodum juvant. Usitatum est, eodem consilio, umbraculum ex charta confectum fronti circumligare, et supra oculos ita extendere ut sphaeræ visus contrahatur. Hoc ex parte interna colore non viridi, ut solet, sed nigro obduci debet, quia non lucem necessariam gratiorem reddere, sed eandem partim arcere consilium est.

INFLAMMATIONE autem et teneritudine oculorum multum auctis, lux nulla ferri potest. Ad eam præcludendam, perperam agunt qui pannum oculis obligant. Hoc oculos improbe nonnunquam premit, et calorem nocuum semper gignit. Lux ut evitetur, in cubiculo tenebroso manere oportet.

II. AB omni oculorum palpebrarumque frictione pariter temperandum est. Hic fortitudine et patientia majore quam in supra dictis opus est. Lucem æger sponte fugit. At oculorum inflammationis incipientis pruritus sollicitationem eisdem digitis fricandi, cui vix unquam resisti potest, inducit. Ejusmodi frictio perniciosissima; inflammationem magis quam ulla alia causa adauget; si etiam continuetur, omne remedium irritum reddit.

III. FRIGUS, certis formis applicatum, inflammationem doloremque interdum minuit. Tela lintea aquâ frigidâ madens, et plicâ unicâ ex fronte oculis suspensa, solamini magno est.

Calor sic et inquietudo minores fiunt, et interdum, si quid aliud ab externo vel interno morbum non renovet, inflammatio resolvitur. At hoc remedio morbus, etsi mitigatus, raro quidem cessit.

FRIGUS nocturnum, ut supra memoratum est, sæpe ophthalmiæ fuit causa. Æque tamen verum est, frigus evaporationis ex linteolis semper innocuum, et sæpe utile esse. Harum rerum, inter se ut videri potest pugnantium, rationem reddere non conabor. Ii autem philosophi præjudiciis veritati adversis certe sunt impliciti, qui, effectibus rerum haud sigillatim notatis, medelam aliquam pravam esse statuunt, quia rei ipsis cognitæ, vel doctrinis dilectis oppugnare videtur.

QUOD ad oculorum faciei que in aquam frigidam immersionem, si ex perpauca experimentis sententiam dicere liceat, mihi visum est, inflammationi acutæ hanc minime esse utilem, quippe quæ dolorem lancinantem, ei similem

mitem quem concitat aer noctis, post se plerumque trahat. Caput inclinatum ad hanc immersionem necessarium nonnihil etiam nocere videtur.

IV. FOMENTA tepida, quoniam inflammationem doloremque sæpe minuunt, oculis experimenti gratia applicata fuerunt. Hoc consilio linteola succida ex aqua calida ad oculos, manu ipsius ægri, fuerunt admota. Hæc aliquid solatii præbent, quod tamen nequaquam perstat, dolore, absolutis fomentis, continuo redeunte vel quidem sæviore. Nimis quoque sunt ægro importuna, eaque perseverantiâ ut bono sint usurpari nequeunt. Oculus preterea ad motus varios qui requiem interpellant adeo pronus est, ut semper fere frustra fomentorum usus. EDUARDUS NOBLE efficaciam laudat aquæ calidissimæ oculis, cyathi ope vitrei, more subitaneo sæpius applicatæ. De modo applicandi, et de hujus effectibus, in libello suo plura inveniuntur\*, quæ tamen, utpote

mihî

\* Vide " A Treatise on Ophthalmia, by Edward Moore Noble."

mihi non comperta, hic loci examinare parum prodeffet.

V. VESICATORIA temporibus, vel pone aures, vel, si signa acuta et obstinata sint, majori capitis parti applicata, utilissima habentur. An lympham detrahendo, an partes irritatione afficiendo hunc edant effectum, quærere haud ita necessarium est. Hanc enim quemadmodum plures alias inflammationes levant. Ea quidem ad hujus quam aliarum partium inflammationes debellandas minus valent. Hoc ex structura ortum qua ab aliis partibus oculus differt; quam ob causam medicamentorum vis, partibus etiam vicinis applicatorum, conditionem oculi parum mutat. Vesicatoria autem palpebris clausis applicata majore forsan vi gaudeant. De horum effectibus et incommodis nihil affirmare possum. Hoc certe commodum expectandum est, ut æger a frictione palpebrarum ita prohibitus foret.

VI. SCARIFICATIO tum superficiei palpebrarum

brarum interioris, tum tunicæ oculi conjunctivæ, a quibusdam multum laudatur. Sæpe quidem inflammationem minorem reddit; at sæpe etiam ex ea iterum atque iterum repetita nihil fructus percipitur. Non tamen objici debet, ut a quibusdam audivi, vulnera hoc modo illata irritationem augendo nocitura esse. Id nunquam vidi nec credo; incommodum enim adest longe aliud, incisiones nimirum citius sanari quam ut sanguinis fluxus sat largus impetrari possit.

HIRUDINES circum oculos, aut cucurbitulæ cruentæ temporibus admotæ, interdum levant, præcipue si quid præter solitum tumet.

VII. FONTICULUS in nucha factus ophthalmiam levâsse fertur. Hoc ad metastasin irritationis tribuendum. Nonne fetaceum parvum palpebræ inferioris, in morbo pertinaciore, experimento dignum sit? De nauta quodam novi qui amauroseos sanationem expertus est, ulcere sponte hoc in fitu orto.

VIII. COLLYRIA

VIII. COLLYRIA aquosa multigena in ophthalmiis, et acutis et longis, usurpata sunt. Inter hæc sunt collyria emollientia, ut mucilago diluta, vel lac aquæ commistum. Hæc immunditiis abstergendis bene inserviunt, et tepesfacta fomentorum vice funguntur. At ejusmodi collyriis nullam præterea vim ad inflammationem subigendam inesse verisimile est. Quenquam interea ea sine aliis remediis haud expertum minime decet confidenter statuere. A GULIELMO ROWLEY, M. D. mucilaginis oculis applicatæ efficacitas magnopere effertur.

SÆPIUS usurpantur lotiones astringentes dictæ, præsertim ex acetite plumbi vel sulphate zinci confectæ. At tum de doctrina qua nititur harum usus, tum de effectibus iisdem ascriptis, multum dubito. Astringens dicitur quod fluxum sistit, oscula vasorum exhalantia contrahendo. Hoc autem non exposcunt inflammationes, quippe quæ fluxu lymphæ sæpe levantur. Neque pro certo credere possum

hæc

hæc præparationes vasa oculorum astringere. Tantummodo qua stimulantur mihi videntur agere; alterutra enim, formâ unguenti oculis applicata, dolorem pungentem nunquam non ciet.

COLLYRIA omnia aquosa improbo, quia nullum effectum perstantem edunt. Quod solum tenent, utut vi sua pollens, momento primo applicandi oculum tangit, et continuò a lachrymis aliisque humoribus ablutum est. Applicatione creberrima, ut aliquem edant effectum, utendum; et, capite ita nimis inclinato, fastidium ægro oritur. Mutatione etiam caloris et concitationis vexatur oculus. Aquas propterea non nisi ablutiois causa utendas præceperim. Ægyptii collyria ex aqua odio habent. Horum sententiam experientia iusta niti credo.

IX. UNGUENTA stimulantia, præsertim ex hydrargyri præparatis, vi maxima in ophthalmiæ curatione pollent. A plerisque medicis

E

non

non usurpantur nisi prius inflammatio se remiserit, et morbus formam debilem induerit. Inflammationes in duo genera hi dirimunt, activam nempe, quæ organi incitationem auctam habet, et inflammationem passivam, quæ actionem habet minus quam in salute citatam. Harum in primo genere stimulum minuere imperant, ac unguentum stimulans si quis applicaverit, morbum sine dubio eum aucturum esse credunt: alterum contra genus stimulum auctum exposcere, unde unguenta stimulantia utilia esse. Pathologia illa mihi male fundata videtur. Quanquam oculorum inflammatio activa dicta a passiva aliquantum discrepat, non ex integro oppositam esse concedo. Nonnulli sunt stimuli in *utraque* pariter noxi. Lux enim aucta, vel oculi contentio, etsi minus in ophthalmia passiva quam in activa noceat, in illa haud injuriæ expers est, nec unquam ad actionem nimis debilem ciendam præcipitur. Idem de frictione dici potest. Hac re inductus, suspicatus sum quosdam stimulos, qui mitem ophthalmiam levant, in acuta

cuta item prodesse posse. Nulla experimenta contraria noveram. Quos intra fines itaque unguenta stimulantia utilia essent, statuere mihi proposui; et, non sine gaudio, ea comperi plus in ophthalmia acuta quam in chronica levaminis attulisse. Experimenta numero erant sex. Unguentum ex oxidi hydrargyri rubri (per acidum nitrosum) drachmis duabus; aquæ lithargyri acetati uncia cum femisse; butyri infulsi unciis quatuor, confectum erat\*; et, ope penicilli ex pilis cameli-

E 2 nis

\* Hoc unguentum in libro, "The Medical and Physical Journal" dicto, tomo IVto laudatum inveni, et aliis post periculum anteposui, propterea quod aqua lithargyri acetati illud tarris humidis applicatu facilius præstat. A medico autem ibi scribente, ut ab omnibus aliis, nonnisi in ophthalmiis chronicis mitibusque unguenta talia præcepta sunt. In ophthalmicis quos antea eodem modo sanatos videram, unguentum ex axungia, melle, et sulphate zinci confectum erat. Unguentum sulphatem zinci continens a plerisque astringens habetur, et nequaquam eodem consilio quo ex oxido hydrargyri rubro adhibendum. At siquidem ab utroque dolor idem pungens sentitur, illis easdem vires (quod ad oculos saltem spectat) non sine jure ascribere videor.

nis, tarsis bis in die, postquam calore paulo liquefactum fuerat, applicatum. Experimenta quidem pauca sunt, quia nuper tantum eadem institui. Si uno in ægro me fefellisset eventus, medelam nulla laude persecutus essem. Sed quoniam hoc nondum acciderit, eam optimam esse judico, et experimentis futuris stabilitum iri spero.

Nisi tamen æger ab omni frictione oculorum se interim abstinerit, immane inflammationis augmen ab unguento erit. Hac sola ratione unguenta prædicta unquam nocua fuisse credo. Horum applicatio digiti ipsius ægri admotione improbanda, quia cacœthes oculos tangendi sensim infert.

QUOMODO unguenta hæc effectus salubres edant, fere nihil quod dicam habeo. Forsan fluxum humorum ciendo aliquando agunt; fluxus enim, aliis in corporis partibus, inflammationem sæpissime minuit. At eorum vim in ophthalmia vidi, etiamsi vix ullus fieret ex  
oculo

oculo fluxus. Unde mihi videntur actionis sensusque organi mutationem delicatam alio modo inducere, quæ ad morbum fugandum conferat. Magna est similitudo hanc inter rem et effectus quos in inflammatione rheumatica et pneumonica, edunt rubefacientia et vesicantia.

X. CATAPLASMATA emollientia oculis clausis applicata nunc nocent, nunc juvant. Principio morbi, eorum pondus atque frictio non sunt ferenda. In morbis vetustioribus et dolore admodum stipatis, suppurationem funestam internæ oculi partis, testantibus pluribus \*, aliquando intulerunt. Sed ophthalmiâ jam chronicâ mitioreque redditâ, dolore interim importuno, cataplasmata noctu imposita levamen nonnunquam præbent.

ATQUE hæcenus de remediis topicis externis.

\* Vide Wenceslai Trenka de Krazowitz Historiam ophthalmiæ, § xxxiv.

nis. De iis quæ totum corpus afficiant pauca restant dicenda.

PYREXIÆ primariæ, si adfit, alvi ductione oppugnandum est. Quæ si pollens minus evaserit, sanguis mittendus. Diaphoretica mitia dein exhibenda.

OPHTHALMIA in diarrhœam interdum abiit; unde cathartica, periculum faciendi gratia, adhibita fuerunt, si forte actionem morbidam ex oculis ad intestina deducere possent. Hæc autem minùs prospere cesserunt, et non nisi pyrexiam subigendo, vel alvum suppressam movendo, utilia fuerunt.

Qui ophthalmiam totius debilitati corporis ascribunt, corticem peruvianam ad vires reficiendas porrigunt. Quo fructu autem nescio, et de doctrina liceat dubitare. Non omnis enim debilitas cinchonæ eousque cedit ut signa ejus topica fugentur.

EODEM confilio, opium a quibusdam exhibitur, et magnam profecto vim ad ophthalmicos sanandos habet. Dolorem femper mitigat; et facile credendum est, inflammationem dolore comitatam opium eodem modo minuire posse quo dolorem venereum apud nos *chordee* dictum, et dolores omnes, diathesi corporis phlogisticâ absente, levat. Res quædam, in JACOBI ARMSTRONG dissertatione prædictâ inveniuntur; at plura in opusculo GEORGII POWER, qui, effectibus felicissimis inde perceptis, remedium summis laudibus tollit.

DE ophthalmiæ acutæ vel gravis curatione præcipue supra disputatum est. Quum mihiorem magisque chronicam formam induerit, cautela supra memorata, de stimulis lucis, frictionis et oculi contentionis fugiendis, observanda. Unguenta etiamnum superiora stimulantia, at forsan dilutiora, adhibenda sunt. Lavatio frigida, modo totius oris, modo oculi solius in cyatho vitreo, utilissima est.

Affusio

Affusio frigida toti capiti interdum etiam toti corpori applicata, admodum prodest. His rebus, vires et oculorum et partium vicinarum et corporis totius mirum in modum reficiuntur, et morbus citò fugatur.

EXPECTANDUM fortasse ut pauca de quibusdam ophthalmiæ effectibus dicam. Sed quandoquidem de iis verba aliorum tantum reperere possim, dissertationem ad finem perducere præstat.

FINIS.

---

EXCUDEBAT GULIELMUS CRÆCH,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

---